



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. Quid sit natura essentialiter co[m]ponens ac denominans corpus naturale?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

verum esse potest, sumpta vtraque albedine penes vtriusque conceptum etiam particularem: nimirum, quia alterutra ita sumi potest, vt nihil aliud, quam partes albedinis potentes petentesque inter se & cum subiecto vniri, non verò tales partes, prout formaliter, & in actu secundo vnite.

143 Obiicies tertio. Partes totius integralis illud constituunt: nihil autem potest à seipso constitui, aut intrinsecè causari: ergo, &c. Verum huic obiectioni factum est satis cap. præcedenti in simili, cum sermo esset de indistinctione totius accidentalis à partibus, per quas constituitur, & intrinsecè causatur. Obiicies denique quartò: si continuum v. g. materia prima non distingueretur à suis partibus, esset vnum per accidens, ad modum quo totum physicum naturalis ordinis, exempli gratia homo, iuxta nos haud posset non esse totum per accidens, si consisteret in collectione suarum partium. At repugnat materiam primam, aut aliud continuum esse vnum per accidens; tale namque si esset, quomodò esse posset de primo, & quidditatiuo conceptu totius per se v. g. hominis: ergo, &c. Sed huic argumento fiet satis lib. sequenti tract. & cap. 1. ibique ostendetur continuum esse ens vnumque per accidens, & nihilominus primariò constituere posse simul cum forma vnum substantiale, & per se.

TRACTATVS X.

De natura, & subsistentia corporis naturalis, & partium illud essentialiter componentium.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit natura essentialiter componens, ac denominans corpus naturale?



1 NTEAQVAM naturam compositi substantialis, & per se ab Aristotele definitam explicem, operæpretium erit, varias naturæ latius fuscæ acceptiones præmittere. Inprimis ergò natura pro Deo rerum omnium opifice, modòque pro rebus à Deo factis vsurpari solet: qua ratione natura diuiditur à philosophis, in naturam creatricem, & creatam, siue in naturam naturantem, & naturatam. Secundò natura accipi consuevit, pro essentia, & quidditate rei: cum hoc tamen discrimine, quod natura in ordine ad operationem explicite sumatur, & essentia in ordine ad existentiam, per quam possit existere, ac quidditas in respectu, & ordine ad definitionem, quares aliqua explicetur.

2 Tertiò natura sumi adsolet pro exigentia, & propensione causarum naturalium: quo pacto, natura dicitur nihil frustra moliri, odisse superfluum, malum per se non intendere, &c. Quartò Theologicè vsurpari potest natura, & iuxta non paucos perinde est, atque collectio rerum omnium existentium, & possibilem, nullam habentium cum gratia iustificante, aut visione beatifica connexionem, physicam, aut intentionalem, mediatam, aut immediatam, antecedentem, aut consequentem: & hac ratione dici debet ens naturale, quod præfata connexionem caret, supernaturale verò quod illam for-

titur. Quintò tandem natura accipi consuevit; pro principio intrinsecò, & constitutio substantiæ materialis completæ: & hoc postremo sensu substantia materialis completa ens naturale appellatur, contrà verò substantia immaterialis completa, cuiusmodi est Deus, & Angelus, nomine entis transnaturalis vocatur: necnon etiam facultas, quæ de priore substantia differit, physica seu scientia naturalis, & quæ de posteriore, metaphysica, siue scientia transnaturalis nuncupantur. Vide Fonsicam, Peireiram, & Conimbricenses de his eruditè, & copiosè differentes.

3 Aristoteles igitur lib. 2. physic. cap. 1. naturam, secundum eius vltimam, & huius instituti propriam acceptionem, ita definit: *Est principium, & causa motus & quietis, eius in quo est primo, & per se, & non per accidens.* Principium est, vnde aliquid est quouis modo: qua ratione aurora principium dici solet. Causa verò est, vnde aliquid est, cum dependentia, qua causa esse in illud per se influat: qua ratione sol lucis non solum principium, verumetiam causa est. Principium autem, & causa bifariam accipi possunt; nimirum pro principio causæque actiuis, aut pro principio causæque passiuis: & vtroque modo in definitione naturæ principium, & causa sumuntur. Quod suadeo.

4 Primò: quia non est potior ratio, cur principium actiuum magis, quam passiuum, aut è conuerso, natura sit: vtrumque ergò natura erit, ac proinde vtrumque in definitione naturæ ex æquo clauditur. Tum etiam principium actiuum motus est forma, & passiuum materia: at tam materia, quam forma est natura: ergo principium tam actiuum quam passiuum est natura, atque aded vtrumque in definitione naturæ comprehenditur, & neutrum excluditur. Minor est expressa Aristotelis lib. 2. physic. c. 1. text. 10. ibi: *Vno igitur modo natura sic dicitur, prima, quæ cuique subiecta est, materia rerum earum, quæ mutationis, motionisque principium in se habent: alio autem modo forma, & species ea, quæ ut ratio dicitur.* Et c. 2. text. 21. ibi: *Cum autem natura bifariam dicatur, tum forma, tum materia, sic contemplari hæc debemus, &c.* Aristoteli consentit B. Thomas tertia parte q. 2. art. 1. ibi: *Uterius deriuatum est nomen natura ad significandum quodlibet principium intrinsecum motus, secundum quod dicit Philosophus 2. physic. quod natura est principium motus in eo, in quo est per se, & non secundum accidens: hoc autem principium, vel forma est, vel materia: unde quandoque natura dicitur forma, quandoque materia.* In eadem sententia est Damasc. lib. 3. de fide orthodox. c. 3. ibi: *Sed quia plurima hominum persona sunt, omnes autem eandem naturæ rationem recipiunt, (omnes quippe ex anima, & corpore constant, & natura omnes anime participes sunt, ac corporis essentiam, communemque speciem habent) id circò plurimarum, ac diuersarum personarum vnā naturam dicimus; quod singula persona duplicem naturam habeant, & in duabus naturis, hoc est anima, & corpore, censeantur.* Hæc ille. Nostram etiam opinionem de indifferentia naturæ ad materiam, & formam tuentur Lorca 1. 2. f. 2. disp. 3. Suar. disp. 1. 5. met. f. 1. Hurtado, Rubius, Conimbricenses, & plurimi alij.

5 Enim verò Scot. in 2. dist. 18. q. vnic. censet, materiā, seu principium passiuum solum esse naturam: quia solum principium intrinsecum motus est natura, vt constat ex iis verbis definitionis naturæ; *Motus, eius, in quo est primo, & per se, & non per accidens:* aut principium intrinsecum motus est eius principium passiuum. Secundò: quia in tantum aliquis motus est

natu

naturalis, in quantum eius vi aliquid mouetur, à quo-
cunque mouetur: solum autem principium passiuum
moueri potest, prout moueri aptum est, & postulat.
Scotum sequuntur asseclæ.

6 E contrario Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 25. n. 20.
Cabero tr. 2. phys. disp. 1. dub. 4. Valles, alique censent,
solum formam, seu principium actiuum esse naturam.
Primò: quia alioqui omnis motus violentus erit natu-
ralis, siquidem in principio aliquo passiuo suscipitur.
Secundò: quia Arist. lib. 2. phys. c. 2. & 3 in eo artifi-
cialia à naturalibus differre docet, quod hæc in se ha-
beant principia suorum motuum, secus vero illa: ubi
de solis principiis actiuis fatur; siquidem principia
passiua suorum motuum in vtriusque reperiuntur.

7 Cæterum vtraque sententia mihi displicet ob ra-
tiones supra positas, pro mea sententia inter vtram-
que media. Ad primum Scoti, & sectatorum argumē-
tum respondeo, in definitione naturæ, verba illa, *in*
quo est primo, & per se, & non per accidens, non appel-
lare supra motum, vt sensus sit, *in quo est motus primo,*
& per se, & non per accidens; sed supra naturam; ita vt
sensus sit, naturam esse principium motus, eius com-
positi, in quo ipsa natura primò, & per se, & non per
accidens inest, vt mox explicabo. Ad secundum res-
pondeo, motum non solum naturalem dici, cum ali-
quid mouetur, prout moueri aptum est, verum etiam
cum mouet, & agit, prout mouere natum est: quare
agentia naturalia non tantum virtutes passiuas; sed sæ-
pius virtutes actiuas nuncupantur. Porro ad primum
argumentum Patris Vasquez, & sequacium satisfaciā
infra, & ostendam quatenus omnis motus violentus
sit non naturalis, & quodammodo etiam naturalis. Ad
secundum argumentum eiusdem Auctoris dicendum
est, artificialia à naturalibus iuxta Aristotelem in eo
differre, quod hæc habeant principia suorum motuum,
quæ in eo quod mouetur primò, & per se insunt, illud-
que substantialiter componant: illa verò habeant prin-
cipia, quæ, id quod mouetur, per accidens componant,
nimirum, quia forma artificialis merè accidentaria est.

8 Motus autem, & quies multifariam accipi possunt.
Siquidem motus alius materialis, spiritualis alius:
quamuis enim Arist. 6 phys. c. 6. solos motus materia-
les agnouerit, & res spirituales propriè moueri nega-
rit; tamen res spirituales non tantum mutari, verum etiam
moueri. Theologis celebre est: idque præter
alios exprimit Greg. in 1. dist. 7. q. 5. ar. 2. Deinde mo-
tus alius est positius, qualis est generatio, quæ ad sub-
stantiam; alteratio, quæ ad qualitatem; accretio, quæ ad
quantitatem; latio, quæ ad vocationem producendas
ordinantur: alius est priuatiuis, qui per oppositas ca-
rentias quadrifariam aut pluries dissecari potest. Rur-
sus motus alius est naturalis, vt cum lapis in centrum
descendit; alius violentus, vt cum à centro extrahitur,
alius artificialis, vt cum æs aut marmor in statuam cō-
formantur, alius supernaturalis, vt cum homo per
amorem, aut cognitionem supernaturalis ordinis, vl-
timo fini suo coniungitur. Quies etiam alia est positi-
ua, quæ in acquisitione, seu possessione quamuis in-
stantanea termini alicuius sibi congrui, & conuenien-
tis sita est: alia verò est negatiua, quæ in carentia vlte-
rioris motus posita est: alii etiam modis, quibus supra
diuis⁹ est motus, & diuidi potest quies motui opposita.

9 His constitutis, censeo naturam ab Aristotele defi-
nitam esse in ordine ad motum, & quietem, quales-
cunque ex his, quos nuper recensuimus. Etenim nulla
pecies motus, aut quietis in definitione illa excludi-
tur: quidni ergo omnes in ea comprehendantur? Tum
etiam, in ordine ad eum motum eamque quietem na-
tura definitur, per quos substantia naturalis, siue ma-

R. P. Richardi Lyncei, Philosophia, Tom. II.

terialis completa à substantia non naturali siue immat-
teriali distinguitur, cum de natura prout huius sub-
stantiæ constitutiua in libris physicorum Aristoteli
sermo sit, vt omnibus constantissimum est: at nullus
motus, nullaque quies est, qui, si sint à principio per
se, & non per accidens intrinseco, ei quod mouetur,
substantiam materialem completam, à quavis alia non
distinguant, vt ex post dicendis constabit, vtque spon-
te sua est manifestum.

Dices tamen: si natura in ordine ad quemcumque
motum, & quietē definiretur, omnis motus dici pos-
set naturalis: omnem autem motum, siue supernatu-
ralem, siue violentum appellare naturalem videtur
absolum, atque ridiculum. Respondeo, motus vio-
lentus & supernaturalis naturalis non est, id est iuxta
propensionem, & inclinationem naturæ, sed alter su-
pra illam, alter contra illam est: cæterum vterque na-
turalis dici potest, si motus naturalis sumatur, vt sumi
potest & debet, pro motu principij per se & non per
accidens intrinseco ei composito, quod mouetur.

Dices iterum: negari nequit, quin cælum constet
natura, videlicet materia, & forma: & nihilominus
principium motus, & quietis in se non habet, sed fo-
lius motus: cum cælum irrequieto, & nunquam inter-
misso motu cieatur. Respondeo primò, cælum suapte
natura quiescere per centrum, polos, & axes, vt Philo-
ponus, & Simplicius interpretantur. Respondeo se-
cundo, cælum suapte natura quiescere, si de quiete
positiua nuper explicata sermo sit: Vbicationem enim
sibi consentaneam acquirit, quamuis cum ea non per-
seueraturum: quod autem quies hæc positiua, sicut &
ea, quæ in ordine ad idem centrum, eosdemque polos,
& axes sumitur, improprie quies sit, non obest: quia
etiā motus priuatiuis improprie motus est: & tamen
in ordine ad eum natura definitur, vt supra ostensum,
vtque fatentur duarum solutionum præcedentium ad-
uertiarij. Tertio sunt, qui putent cælū nō ab intrinseco
moueri, sed duntaxat ab intelligentia, quæ, si cælū ro-
tare nollet, nihil contra eius faceret inclinationem: in
hac autem sententia, quis non videat, cælū esse prin-
cipium passiuum non minus quietis, quam motus?

Quarto, cum definitur natura, *principium motus &*
quietis, &c. particula &, cum particula, vel, coincide-
re potest, vt in aliis definitionibus interdum vsuuenit:
sic Porphyrius definit accidens, *Quod potest adesse &*
abesse, sine subiecti corruptione. Quinto tandem, mo-
tus, & quies, in definitione naturæ, nō pro solo motu,
& quiete locali, verum etiam pro quouis alio sumun-
tur, vt supra edocui: sic autem cælum non solum mo-
uetur, verum etiam quiescit; siquidem, cum aliquando
esset informe, & ornatu lucis, aliarumque qualitatum
careret, à creatore suis numeris absolutum, & perfe-
ctum, est, ac proinde ad perfectionem aliquam acci-
dentalem initio promotum fuit, in quo hæcenus
quiescit. Mitto alias solutiones, breuitatis causa:

Reliquæ definitionis particule, nimirum, *eius in quo*
est primo, & per se, & non per accidens, denotant, vt in-
tinuatum supra est, principium motus, & quietis, ad
hoc vt natura sit, debere componere per se & substā-
tialiter id quod mouetur, aut quiescit. Vnde inferitur
primò, Deum naturam non esse, nec natura constare,
prout in præsentia natura sumitur: tum quia in Deo
non est compositio substantialis: tum etiam quia in
eo propriè motus non est, propterea quod motus
cum mutatione coincidat, Deus autem omnis mu-
tationis sit incapax: tum denique, quia est diui-
næ processionis immanentes, & ad intrā dicantur
quodammodo motus, earum tamen principium,
est in Deo non causa. Itaque, cum definitur genera-
tio

tio viuientium, origo viuientis à viuenti, à principio coniuncto in similitudinem naturæ, haud sumitur natura in ea definitione, prout in præsentiarum est ab Aristotele definita: alias generatio Verbi diuini improprie, & metaphoricè generatio futura esset, vel certè minus stricte quam generatio creatura: cum natura ab Aristotele in præsentia definita in Deo proprie locum non habeat, vt iam iam constitutum est. Ergo natura, in definitione generationis viuientium, sumitur fortasse pro principio operatiuo physice, & realiter ad intra; qua ratione proprietates ab essentia realiter productæ, eique intrinsecæ naturales dici adfolent. Atque hoc sensu sumpta natura, filium diuinum Patri in similitudinem naturæ coniunctum esse, secus verò spiritum sanctum Patri filioque; adeoque originem filij à Patre generationem esse posse, originem Spiritus sancti à Patre filioque non generationem sed processionem, sunt qui probabiliter existimant. Verum de hoc alibi.

14 Inferitur secundò ex dictis, Angelum etiam naturæ hic ab Aristotele definitæ omnino esse expertem. Si quidem in Angelo nulla est compositio substantialis etiam ex subsistentia, & natura, vt ostendam inferius: quare in eo nullum erit principium motus, & quietis, eius in quo est primò, & per se, & non per accidens; cum particula illa, primò, & per se, significet compositionem substantialem, in eo quod mouetur, vt iterum est atque iterum animaduersum. Quod si cum còmuniori sententia Angelum ex natura, & subsistentia substantialiter componi quis censeat, adhuc Angelum naturæ in præsentiarum definitæ expertem esse satis probabiliter defendere poterit: nimirum si particula, primò, dicatur significare vnā compositionem substantialem, ex materia videlicet, & forma, quæ compositio substantialis primaria dici potest; & particula, per se, aliam compositionem substantialem, ex natura scilicet, & subsistentia, quæ compositio substantialis secundaria potest appellari: quando igitur Angelus vna tantum compositione substantiali, secundaria nimirum, non verò alia gaudet, quid mirum, si naturæ expertis censeatur?

15 Inferitur ex dictis tertio, vñionem partium essentialium corporis naturalis non esse naturam: quia non est principium, & causa motus, & quietis, &c. sed sola ratio principiandi, causandique compositum. Inferitur postremò ex dictis, compositum ipsum siue corpus substantiale completum non esse naturam, de qua in præsentia; quia non est primò, & per se in eo quod mouetur, sed potius partes in eo primò, & per se insunt: eò quod partes totum primò, & per se constituent, cum tamen totum se ipsum constituere nequeat: id quod Aristoteles perspicue docet hoc loco c. 1. tex. 12. vbi postquam solam materiam, & formam naturam esse tradidit, subinde ait; quod autem ex ijs est, natura quidem non est, sed natura constat.

CAPVT II.

Quid sit subsistentia corporis naturalis, partiumque illud essentialiter componentium?

16 Subsistentia quadrifariam accipi consuevit. Primò pro existentia rei, qualiscunque sit, vt constat ex Trismegisto in Asclepio, vbi Deum vocat, mentem conseruatricem rerum omnium, in qua omnia viuunt, atque subsistunt: & ex Gregorio 16. Moralium c. 18. ibi, Aliud est esse, aliud principaliter esse; aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse: sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minima subsistunt, & nisi gubernanti manu teneantur,

esse nequaquam possunt. Alia plura Philosophorum, & Patrum id genus testimonia suppetunt, in quibus subsistentia, & existentia siue esse pro eodem usurpantur.

Secundò sumi solet subsistentia, pro existentia per se, qua aliquid dependenter à subiecto inhesionis existit: qua ratione accidentia Eucharistica subsistere dicuntur, quia per se, & independenter à subiecto inhesionis existunt, vt patet ex B. Thoma opusc. 57. ibi; accidentia etiam in eodem sine subiecto subsistunt. Et hac etiam ratione existentia cuiusvis substantiæ dici solet subsistentia, vt colligitur ex August. lib. 7. de Trin. c. 4. ibi; Sicut ab eo quod est esse appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere substantiam dicimus: & ex Isidoro lib. 1. different. cap. 4. ibi; Substantia est id, quod non ab alio, sed semper ex se est, id est quod propria in se virtute subsistit.

Tertio subsistentia pro actione ipsa, qua res aliqua independenter à subiecto inhesionis producitur, accipi consuevit: siquidem subsistentia eodem modo se habet ad substantiam, quò inhesionis ad accidens; & substantiæ, tam proprium est subsistere, quam accidentis inherere: at accidentis inhesionis in eius productione dependenter à subiecto consistit, vt omnibus constantissimum: ergo subsistentia substantiæ etiam in eius productione independenter à subiecto inhesionis sita erit. Quarto demum subsistentia usurpari solet, pro supposititalitate, qua suppositum aliquod v. g. equus, aut personaritate, qua persona aliqua, homo v. g. constituitur. De qua, remissis in metaphysicam aliorum sententiis, quid ipse sententiam, in medium produco. Arbitror ergo, subsistentiam siue hypostasim hominis v. g. ita ab eius partibus realiter distinctam esse, vt in toto substantiali, & physico, ac per se ex eis resultanti sita sit, & ab illo reipsa non distinguatur: quæ sententia, quamuis autoritate scholasticorum destituta sit, iis tamen rationibus corroborari potest, quæ mihi semper visa sunt efficaces. Quarum prima sit.

Compositum, siue totum per se, quod ex corpore, & anima resultat, seorsim à quouis alio est homo: at nequit esse homo, quin subsistat, & persona sit, vt omnium confessione euidentis est: compositum igitur illud seorsim à quouis alio per se ipsum subsistit, ac proinde subsistentia compositi in ipso, & non alio collocanda est. Maior probatur: quia homo est formalissimè animal rationale, id est principium radicale, & vt quod, sentiendi & discurrendi: sed compositum ex corpore, & anima nostra seorsim à quouis alio est eiusmodi principium: quippe compositum illud suapte natura postulat, quidquid ad sentiendum, & discurrendum opus est, animam nimirum discursiuam, & sensitiuam, & corpus dependenter à quo sentire, & discurrere possit. Ergo, &c.

Secunda ratio, & confirmatio prioris sit. Homo nihil aliud est, quam totum per se, quod ex corpore & anima vnitis resultat: at, si subsistentia hominis ab eo toto distingueretur, homo vteret esset aliquid aliud, præter eiusmodi totum per se, videlicet subsistentia, vt manifestissimum est: ergo, &c. Maior probatur: quia homo ab omnibus Philosophis definitur, compositum ex corpore, & anima: definitum autem nihil aliud esse potest, quam definitio. Huc facit illud Plat. in Phædro; animal totum vocatur anima simul, corpusque compositum, & mortale animal cognominatur: illudque Aug. in expositione Psalmi 145. ad versum 1. ibi; Nihil inuenimus amplius in homine, quam carnem, & animam: totus homo hoc est spiritus, & caro. Ex quibus testimoniis, aliisque similibus tr. præcedenti c. 5. allegatis manifestè convinci videtur, hominem nihil aliud esse, quam partes